

---



---

# PHILOSOPHICAL TRANSACTIONS.

---

*For the Months of November and December. 1694.*

---

## The CONTENTS.

I. **A** Paper asserting some Mathematical Inventions to their true Authors, by Dr. David Gregory, Astr. Prof. Savil. II. *Monf. Cassini's Tables for the Eclipses of the First Satellite of Jupiter, reduced to the Julian Stile, and Meridian of London by Mr. Edm. Halley, S. R. S.* III. *A Paper about Magnetism, &c. by Mr. J. C.* IV. *Of a Lamb suckled by a Weather Sheep: From Mr. Tho. Kirk, S. R. S.* V. *A Second Letter concerning the same.* VI. *An Account of Books.* 1. *Reflections upon Ancient and Modern Learning, by W. Wotton, B. D. R. S. S.* 2. *Horti Malabarici. Pars Undecima, Duodecima & Ultima, with Remarks thereon by T. R. M. D. S. R. S.*

---

I. *Nobilissimo & Doctissimo Viro D. Roberto Southwell, Equiti Aurato Societatis Regiæ Præsidi Dignissimo, S. D. David Gregory, Astr. Prof. Savilianus.*

**C**UM legerem nuper evulgatam ab Abbate Galloys Historiam eorum quæ jussu Societatis Regiæ Gallorum Parisiis anno superiore edita spectant ad Mathematicos, visum est, quoniam ita jubes, ad te circa rem illam hæc describere.

Nempe edidit Jacobus Gregorius Anno MDCLXVIII. Patavii librum completentem Propositiones aliquot generales de transformatione Curvarum. Has asserit (Anno demum MDCXCIII.) hic Abbas Gregorium, & deinde alias hinc similes Isaacum Barrovium Britannos, à Robervallio Gallo, & Societatis Gallorum Philosophicæ Mathematico, esse suffuratos.

N n

Cum

Cum ederet tractatum suum de parte universali Geometriæ Gregorius, vivebat Robervallius; vivebat quoque Anno MDCLXXIV, cum lectiones suas Geometricas ederet Barrovius: Barroviana quippe illa vidit probavitque Gregorius, eodem vero tempore mortui sunt Gregorius & Robervallius, mense scilicet Octobri anni MDCLXXV. Robervallii vero quæ dicuntur anno primum MDCXCIII prodire. Nulli quæstus est, aut testatus unquam Robervallius nota sibi prius fuisse, quæ Britanni isti plaudentibus Geometris pro suis edebant, quamvis famæ supra modum fuerit appetens. Testem hic appello Nobilissimum C. Hugenum, qui mihi, paulo post editam hanc Abbatis fabulam, affirmavit Robervallium (cum quo multos annos familiariter vixerat) nunquam propositiones Barrovianas aut Gregorianas pro suis aut prius sibi notis vendicasse. Accedit quod cum vivente Robervallio lis orta fuerit Hugenum inter & Gregorium, in qua huic ille non pepercit, credibile non sit voluisse Hugenum deesse occasione objiciendi adversario compilata Socii Robervallii scrinia, aut noluisse Robervallium arripere opportunitatem inventa sua sibi maturè vendicandi. Edidit ergo sua Barrovius & Gregorius haudquaquam obstrepente Robervallio, qui illorum scripta tacitus vidit, neque de injuria quæstus est tam atroci ille, qui de minima solebat quari; quippe hic nulla ei fuerat facta. Nemo sane dubitat quin Britannorum scripta viderit Gallus, quæ Mathematici omnes tum legebant: At Galli scripta vidisse Britannos (quæ mortuis ipsis primum prodeunt) quis pro certo adfirmet.

At potuit (si sit habenda fides Abbati) Epistolam Robervallii de transmutatione Curvarum Torricellio transmissam vidisse in Italia Gregorius (Italiam quoque adiit Barrovius.) Nam scripsit ad Torricellium Robervallius, quæ Gallis nolebat ostendere impertitus Italo quem eadem Epistola Plagii acriter infirmulavit. Torricellius ea non potuit non impertiri Italis suis. Itali vero non potuere illa inventa publici juris facere, neque tamen se continere quin Britannis diu post mortem Torricellii in Italiam venientibus ostenderent, permitterentque ab ipsis evulgari. Somniat hic Abbas relapsos nos esse ad ævum illud fabulosum quo Monachis potestas erat quidlibet audendi & fingendi. Quis enim hodie credat Jacobum Gregorium hominem in Italia peregrinum potuisse in ipsa Italia impune vendicare inventa illa quæ ante paucos dies ab Italis hausisset? Miraculo proximum foret si ille vigesimo anno post mortem Torricellii in Italiam veniens, hujus scripta simulque nota Italis

Robervallii inventa in scis aut tacentibus omnibus & Italis & Gallis, ipse etiam tacente Robervallio, compilasset & pro suis plaudente orbe Mathematico edidisset. Sed hæc Italis & Gallis, priusquam à Barrovio & Gregorio ederentur, ignota fuisse, satis probat altum de universalibus istis propositionibus silentium. Ut verbis utar Cartesii, si ista tum cognovissent, non conscripissent tanta & talia de rebus Geometricis Volumina. Verum non fuerint ausi forsàn Itali inventa illa à Robervallio & Torrìcellio per manus tradita in lucem edere, Itali quippe ut fama est traditiones omnes non audent edere; Atqui postquam illa sunt edita, quid vetabat quominus ab Italis plagii reus ageretur Gregorius? Aut quo minus sua sibi assereret Robervallius? Nempe nondum inventus erat hic Abbas qui mortuo Robervallio ea adscriberet quæ bonus ille vir sibi vivo non arrogabat. Denique quid potuit obstare quo minus rapacissimus ille Gregorius, ea quæ Barroviana meritò nunc audiunt, pro suis ederet, cum prior scriberet, & Robervalliana edoctus esset ab Italis, eadem illa nempe quæ Barrovium postea edidisse asserit hic Abbas? Aut potius quid obstabat quo minus ipse Robervallius illa ederet illustria Theoremata quæ reliqua fecerat Gregorius, qui Robervallium docuerat quam nihil fidentum esset Geometris soli Britanni?

Sed ipse, si credere fas est, Gregorius in Præfatione libri sui fatetur surrepta esse ab aliis quæ illic exstarent. Somniat rursus Abbas noster. Quis enim, nisi per somnium, idcirco putaverit Gregorium fateri nihil in illo libro esse suum, quia in Præfatione scripserat permittere se lectori judicandum quid ibi suum (Gregorii) sit, quid alienum? Profecto iudice Gregorio quædam erant illic sua. Quæ illic ab Archimede, aliisque quorum scripta tum publice prostabant non repetuntur, ea iudice Gregorio nova atque Gregoriana sunt prorsus: Præsertim cum dicat se quidem apud alios methodi suæ vestigia legisse, sed male aut particulariter demonstrata. Methodus ergo exhibendi demonstrationes universales circa lineas curvas, hoc est pars universalis Geometriæ, iudice Gregorio Gregoriana & Barroviana est. Hæc sane non intellexit noster Abbas, ut neque partem universalem artis condendi fabulas; alioquin non fuisset contentus ostendere Robervallio olim nota fuisse Barrovii Gregoriivæ quæ dicuntur inventa: facile enim fuerat eadem opera ostendisse Italos & Græcos Geometriam didicisse à Gallis qui Romam vastarunt, Archimeden Siculum potuisse Gallorum inventa ab Italis haurire eodem modo, quo Gallica postea didicit ab iisdem Gregorius aut Barrovius Britannus. Et patet eundem fabulæ morem cæteros præci temporis Geometras complecti. Veniet quoque tempus quo Abbas hic demonstrabit nota Robervallio fuisse illa quæ hodie in Newtono admiramus. Obstet nunc (proh dolor) nondum intellectus Abbati, usque qui cum Abbate faciunt, Newtoni liber. Evidens igitur est describas fuisse per Robervallium ex Barrovii

**Gregoriive libris Propositiones, quas memorat Abbas; si modo eas scripto commiserit Robervallius: Cum hic illorum libros viderit, illi hujus scripta legerint nunquam.**

Sed Abbatis fabulam tantisper veram esse jubeamus. Esto quod Epistolam hanc nunc primum visam Torricellio inscripserit Robervallius. “ Ergo (inquit Abbas) Methodus transformandi figuras ibi reperta eadem est, si penitus exequiatur, cum exhibita à Gregorio primum in “ Geometria sua Universalis, postea à Barrovio in *Lect. Geom.* horumque Propositiones eadem sunt cum conclusionibus Robervallii; eandem quippe figurarum & constructionum ope demonstratæ. Ecquis jam dubitet, Barroviana & Gregoriana omnia aut longe plurima in Robervallianis hisce contineri? Dicam quod res est. Propositio quæ Gregorio in *Geom. Univerf.* est XI, & Barrovio in *Lect. XI* est X, eadem est cum Propositione Robervalli de figurarum transformatione. Hanc & quidem unicam (demonstratione misera & pudenda vestitam) videre est inter Gallorum opera varia in fine tractatus de indivisibilibus *pag. 241*, & rursus *pag. 295* in Epistola illa Torricellio inscripta. Quam sibi nihil laudis perisse eo sive Robervallii invento sive Abbatis Commento Judicarent Nostri? Quamque sibi plauderent nunc tam securis de tot aliis inventis & Pyriticæ licentiæ posthac annuente hoc Abbate, non objicendis?

Non pigebat tamen adnotasse quam dissimiles rationes secuti sint in causa non dissimili Galloys hic & Wallisus. Adfirmat Wallisus multa esse in libro Cartesii de Geometria ex Harrioto translata. Quippe ostendit esse utrique communia, & quæ in nullo alio reperiantur. Notum est quoque librum Harrioti editum fuisse Londini Anno MDCXXXI, auctore tum mortuo; & Londini, eo Anno fuisse Cartesium natum annos 37. edidisse demum Geometrica illa Cartesium anno MDCXXXVII. Manifestum tum videtur potuisse Cartesium quædam transfuisse ex Harrioto, & non potuisse Harriotum sua transfuisse ex Cartesio. At hisce contraria adfirmare non dubitaverit hic Abbas. Gregorius enim Barroviusque scripta sua edidit & diem suum obiit ante edita Robervallii ista, qui illorum scripta viderat, nec moverat de iis litem. Ergo, si qua fides habenda sit Abbati, culpa ipsius Cartesii factum est quo minus credamus Harriotum sua ex Cartesio transfuisse. Debuisset enim librum suum dum viveret non edidisse Cartesius. Si librum illum nondum editum & apud se delitescentem servaret Galloys, heu quantum bellum instaret Wallisio. Vale vir Nobilissime & veritatem tueri perge.

*Dabam Oxoniæ, 15 Novembris, An. MDCXCIV.*

II. Monsieur